

/ Admodum Reverende Pater. Accepi litteras Reverendae Paternitatis Vestrae cum adjuncto Summario totius causae ante paucos dies. Et quidem ego jam a biennio, vel triennio non cesso ex clamare, et hortari Collegas meos, ut misereantur miserrimarum istarum Sanctimonialium, quae non videntur invenire posse, qui illis justitiam administrent; cum tamen in ista provincia non desint homines docti, prudentes, et pii. Illustrissimis Dominis Collegis meis non deest zelus; sed distantia locorum, et mutationes Nunciorum Apostolicorum et, ut verum fatear, multitudo negotiorum Sancti Officii, non permisit adhuc, ut negotium hoc tam grave finem suum acciperet. Ego hac ipsa die mittam ad Assessorem et Commissarium Officii nostri summarium ad me transmissum, ut in proxima Congregatione legatur Illustrissimis Dominis; et ego, quoad potero, urgebo, ut tandem finis tanto malo imponatur. Oret Reverenda admodum Paternitas Vestra 15 pro me bene, et aegrotando, non ut diutius haeream in valle lacrimarum, sed ut exitum meum custodiat Pater misericordiarum. Ego saepe lego dulcissima illa verba Sanctissimi Patris nostri Bernardi, ad amicum suum Carnotensem Abbatem: „Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat; curate munire votis calcaneum, nudum meritis, ut is, qui insidiatur, invenire non possit, ubi figat dentes, et vulnus infligat.“ Haec a me sibi dicta existimet Reverenda Paternitas Vestra, non quod jam in extremis agam, sed quod senex sim valde, et doloribus variis semper obnoxius. Romae die 15 Octobris 1617.

---

25 Epist. famil. CXLVI. cf. Positio t. II part. 2 p. 302; Bartoli lib. III c. 9.